


DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die decimâ-ſeptimâ
Decembris anni M. DCC. XXXIII.

M. JOANNE-BAPTISTA-LUDOVICO CHOMEL,
Doctore Medico, Præſide. autore.

An Caſti rariùs ægrotant, faciliùs curantur?

I.



UAM imperioſa præjudiciorum poteſtas! Adulatrix Poetarum cohors Cupidinem finxerat Deum ut ipſi Hœroes ab eo vinci non erubeſcerent. Hinc ſinceris natum felicitatibus genus humanum voluptati addictum ſe putavit, ſuâque nunc quiſquis trahi amat. Hic Naturæ parendum eſſe ſtolidè exiſtimat, ille per Veneris illecebras ad ſanitatem ire contendit. Sed Venus dux malorum, ſcelerum artifex, modos ferè neſcia, rationis uſum ſpoliat, luxuriam inducit, Populos, Imperia, ſuperbiſſimas devaſtat gentes, irrepit blandè & affigit humi divinæ particulam auræ. Beatus ille qui intelligit quàm ſit turpe diffluere luxuriâ, delicatè ac molliter vivere, quàm honeſta, quàm

utilis ſobrietas & continentia. Teſte cœlo vivens, virtutem apprimè colit & ſervat, ſublimiori lumine doctus in umbrâ voluptatis illicitæ ludere horret ne veram perdat. At ſi virtutis Amor, ſi rectè facti conſcia Mens animos non alliciat, ne Veneri indulgendo ſalutis propriæ negligens, in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumas, rariùs ægrotabis, faciliùſque (ſi morbus accidat) curaberis.

I I.

AMOR truculentum morbi genus non immeritò dixeris. Illo ſæviente in alieno corpore vivit amans, in proprio ferè mortuus eſt. Dii boni, quid hoc morbi eſt! Adeò-ne hominem ex eo immutari ut non cognoſcas eundem eſſe? Quæ ars tanto abigendo malo inſerviet? Ars certè Medica, Ars ſine quâ cæteræ vileſcerent, Ars omnium præſtantior quæ temperamentorum naturam edocta, Animi Pathematum perturbationes reducit & inſtaurat; quæ alimentorum qualitates, ſalutiferas Medicamentorum virtutes, Artis Gymnaſticæ modos decernens, acuit ingenium, corpori ſanitatem inducit, blandam morum integritatem confirmat, probitati, virtuti, religioni opportunè ancillans libidinis refrœnat impetus: priſca gens Mortalium animi dotibus eximia, corporis robore ſpectabilis, à diætâ lætos innocuâ ſerie exhauriebat dies; citò quippè ſpumat in libidinem venter alimentis fervidioribus æſtuans. Humores nimio inflammati pabulo feroces vix componunt motus; hinc luxus laſciviæ parens, ſanitatis inimicam incendit libidinem, plenus labe omnia invadit, multos enim morbos multa fecerunt fercula. Quæ virtus è contra foret & quanta bonis vivere parvo! imò ſalubri labore victum condire prudenter, exuperantes ſuccos vacuare, corruptos emendare, mentem erigere, vitia comprimere. Commendet igitur cibos fames, ſitim potus extinguat. Quidquid naturam excedit naturæ noxium, ſucci plenos deſidioſus amor ſequitur; corpori indulgendum, non ſerviendum, duriùs tractanda Caro ne Animo malè pareat.

I I I.

CASTITAS Veneris æſtu lubens tumere neſcia, pro triplici hominum ſtatu triplex eſt vel in virginibus, vel in orbatis, vel in uxoratis; ſua eſt quippè in connubiis caſtitas apprimè ſervanda quâ debito conjugali ſobriè quiſquis uxoratus impenditur, ne vires animi & corporis labefactando, liberorum debitæ procreationi, ſanitatis tutelæ, innumeriſque & immenſis connubii muneribus exequendis fiat prorſus impar. Maxima ſanè & præſtantiſſima virginum caſtitas quæ non noſcens ea à quibus poſteà optarent liberari florem integrum corporis & ingenii conſervat. Quæ fructus non ferunt arbores, vireſcunt lætiùs, latiùs expandunt ramos, altiùs aſſurgunt, dum fœcunda pyrus maluſque ferax gibbum curvum fœdiorique obductum libro truncum geſtant; virginitatis dicas ſterilitatem pulchritudine, longævâ ſanitate, robore compenſari. Venus quietis inimica roſas pollicetur, ſed in illius ſpeluncâ ſpinas legunt. Dum ſanguinis probiſſimi ſpuma, cerebri ſpinaliſque medullæ effluvium ſemen exit, ſpiritus unà diſſipantur, ſenſus infirmantur, ingenium vix ſui

compos contriſtatur, hebeſcit, debilitantur articuli, laxum fractumque corpus vix ſuſtinet miſer homo, vivido ſuo nitore ſpoliantur lumina, obſcuroque intumeſcunt circulo. Ita Venus epilepſia etſi brevis, adoleſcentibus incrementum remoratur, generi nervoſo infenſa, viris ſenium maturat, ſenibuſque mortem. Nec ſatis. Inſaniens libido ea diſſipat auxilia quibus conamina morborum validiori conamine Natura ſuperat. At quantum roboris ſuppeditabit provida caſtitas! Si ſemen in arva naturæ ſpirantia projectum omnia vivificat, nonne illius in ſanguinem regreſſi beneficio ſtabit diutiùs machina vegetior? Nonne validior factus ſanguis inſenſilem adaugebit perſpirationem, variarumque anni tempeſtatum impetus obtundet? Nonne ſeminis virtus per artus refuſa vigorem illum conciliabit cujus ope veſani morborum aſſultus præcavebuntur, ſanguis cum utilitate profundetur, cujus ope diœtæ, & Medicamentorum ſalutiferos effectus cum fœnore percipiant ægrotantes? adeò patet caſtitatis ſalubris utilitas ſanitatis hoſtes fugatura!

I V.

QUANTI ergo fugax emitur voluptas! proh hominum cæcitatem! libidinis inſaniam explentes ſanitati conſulere jactitant. * At in renibus nephriticum affectum, in ſtomacho cruditatem, in cerebro catharrum, in Corde palpitationem & ſincopem producit Aphrodiſis. . . . ſub dulci melle impia latent venena. Ex univerſo corpore profluit ſemen, effuſo ſemine corpus univerſum languebit. Caſtitatis igitur pulchra conditio, vitale bonum quo non eſt in terris optabilius quidquam ſanitatem roborans ſervat & ſuſtinet, morborum aſſultus ludit & ex ſemine refluo vires depromit præcipuas; errant qui ſemen cum in corpore abundat corruptioni obnoxium eſſe autumant; nonne ſanguinis pars ſubtilior per ſubtiles vaſorum mæandros permeare apta eſt? actuoſiſſimum eſt ſemen, ingurgitari neſcit, per perculiaria vaſa vehitur, per propria redit. Si virgines hiſtericis affectibus torquentur, ſi fœdantur colores purpurei, plus morbus Melancholicus, plus parentum moroſitas, vel tædii & otii plena vivendi ratio mali affert quam Veneris ignotæ abſtinentia. Febrem ipſammet *Eroticam* non curat Aphrodiſis, non ſanat qui vulnerat, ignem non ſedat qui incendit; erethiſmus non laxatur ab iis quæ ſpaſmum, ardorem, tentiginem longè lateque inferunt. Sed experientiam teſtem appellemus, ſalaciora animalia parum vivunt. Videamus validiſſimos & ſatis robuſtos adoleſcentes tanto ſtipendio & ſpirituum effuſione Veneris uti illecebris ut ad miſerum ſtatum celeriter deducantur. Calvos & porrigine fœdos adſcititia cæſaries fraudulenter adornat, alvus ſtringitur, tument hemorrhoïdes, crura franguntur, podagra incurvat, ardet ſatyriaſis innumeriſque aliis (ut taceamus horrenda furibundæ Veneris flagella) morborum deliramentis exploduntur.

* *Sanct. Aph. 24. lib. 6.*

V.

ET ſunt homines adeo molles & laſcivi ut tot ſævis affectibus premi non curent, tot cruciatibus lacerari contemnant, ut petulantiæ pareant ſanitati deſerviunt. Quævis delectamenti venerei mica mille ægritudinibus rependitur.

Facessant igitur inepti agyrthæ qui sanitatis gratiâ scortari suadentes libidinem pro scientiâ auscultant. Sanari pigeat ubi turpis est Medicina. Imò ad corporis conservationem nulla adest Veneris necessitas. Nullius morbi causa esse potest Veneris abstinentia, vesci citra saturitatem, impigrum esse ad laborem, vitale semen servare tria esse saluberrima apud omnes in confesso erit. Quò major erit voluptas tantò sanitati detrahetur magis. Quò plus scintillabit ignis eò citiùs marcescet. Longior huic corpusculo prorogari potest mora si voluptates quibus pars hominum major perit regere & coercere poterimus. Venere tamen utantur qui debitum conjugale reddere tenentur & liberis dant operam, sed moderatè & castè. Hinc Nestoreos ad annos pervenire sanitate longævâ frui liquebit. Hinc secura voluptas dulcedo non fallax.

Ergò Casti rariùs ægrotant, faciliùs curantur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Actûs Præses.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron.

M. Ludovicus-Maria Pousse.

M. Antonius Casamajor.

M. Raymundus de la Riviere.

M. Franciscus-Josephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Anatomes, & Chirurgiæ Professor.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Facultatis Decanus.

M. Joannes-Franciscus Couthier, Scholarum Professor designatus.

M. Joannes-Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS-FELICITAS COCHU, San-Germanus in Laya, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733, à sextâ ad meridiem,

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.